

In nomine sanctæ et individue Trinitatis. Ego Adelbertus Dei gratia Moguntinus nobis
 Archiepiscopus, & Apostolica sedis legatus. Notum facio omnibus tam futuri quam presentis Mariæ-
 temporis Christi fidelibus, qualiter annuente & concedente venerabili fratre nostro Pader-
 burnensi Episcopo Bernhardo, Widekindus Comes fundavit Ecclesiam in sua propria heredi-
 tate in honorem Dei & sanctæ genitricis Mariæ. Itemque propria hereditate dotavit eam
 collectis in ea fratribus monastica professionis ad serviendum Deo & sanctæ Mariæ, pro salute
 animæ suæ & antecessorum suorum, & pro universa Ecclesia Catholica. Item liberam fecit
 eandem Ecclesiam suam, ita ut sit ab omni subjectione absoluta, nisi quod in spiritualibus tan-
 tum querendis, accipiendis, & disponendis Paderburnensi Episcopo & Ecclesiæ suæ sit subiecta.
 Item liberam habeat electionem in eligendo spirituali patre, in eligendo advocato, qui eis sit
 necessarius, et non gravis. Hanc etiam concessionem habeat ab Episcopo Paderburnensi cum
 consensu totius Ecclesiæ suæ, ut si quis vel liberorum hominum, vel Ministerialium Paderbur-
 nensis Ecclesiæ de rebus suis, sive de beneficio suo æternæ retributionis amore sibi minuere,
 vel illi quippiam conferre voluerit ad ampliandam rem fratrum, hoc licitum sit et ratum, &
 perpetuo maneat inconuulsam. Et nos igitur præfati patris nostri piam concessionem testa-
 menti auctoritate ab ipso stabilitam, et sigillo ejus communitam approbantes, bonæque volun-
 tatis ac meriti ipsius participes fore desiderantes, presentis pagine seriem conscribi, & sigilli
 nostri impressione precepimus consignari, sub perpetuo anathemate Omnipotentis Dei Patris &
 Filii & Spiritus sancti, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Domni Papæ Honorii, &
 nostro interdicens, ne quis eam dolo vel ullo ingenio impetere, aut infringere audeat, sed
 dum vitæ hujus tempus voluitur, rata & inconuulsa permaneat. Testes fuere Præpositus
 de Frideslaria, Godeboldus Præpositus de Fecheburch, Henricus Præpositus de Heilegestat, Go-
 descalcus Comes, Ernestus, & frater ejus Lambertus, & alii quam plures, qui viderunt, & au-
 diderunt. Acta sunt hæc anno Dominice Incarnationis MCXXX, Indictione octava, regnante
 Lothario secundo anno regni ejus * septimo. Datum Frideslaria, XII Calendas Julii feliciter
 Amen.

* annus sex-
 tus est.

Ad hunc quoque modum Bernardus Episcopus noster totus
 fuit in alijs religiosorum virorum Cœnobijs fovendis augendisque,
 quod & literæ testantur, quibus hoc anno Abdinghovianis Cœnobi-
 tis extra muros civitatis nova largitione bona in Nethesungen & At-
 lon adjecit, brevi cum Egberto Monasteriensi Episcopo à privatis ad
 publicas regni curas à Lothario Rege avocandus.

Annus Christi 1131.

Innocentij II Pont. 2.

Lotharij II Regis 7.

Bernardi I Ep. Pad. 4.

Postquam anno superiori Innocentius Pontifex in Gallias per-
 venerat, Claromonti, quod præter ceteros Otto etiam Frisingensis
 tradit, concilium Episcoporum indixit, ad turbatæ Ecclesiæ & schis-
 matis vulnus persanandum; ad quod Lotharius haud secus, quàm
 Henricus Angliæ Rex suos legatos præmisit, Conradum Saltzbur-
 gensem atque Egbertum Monasteriensem, Episcopos, per quos In-
 nocentium in Germaniam invitavit, nihil honoris auxiliique præ-
 termittens erga Pontificem, quod à Rege Galliæ & Angliæ defe-
 rebatur. Inde celebrato Gandershemij Natali Christi, per initia hu-
 jus anni MCXXXI è Saxonia ad Rhenum transijt; & cum didicisset Pon-
 tificem ad se venire, ipse cum omnibus Regni Principibus, Archiepi-
 scopis,

Otto Fri-
 sing. lib. 7.

c. 18.

Dodechin.

Chron. Hil-

des.

(Chron. mon-

tisfereni.

Truhem.

Lotharij

Rex Leo-

dij ab In-

nocentio

corona-

tur.